

Caeterum praefati fideles subditi Regnicolae Sacrae Caesareae et Regiae Maiestatis non sine gravi molestia supplicare curant, cum postquam Generosus et Magnus condam dominus Joannes Lenkovych, Confiniorum Croatiae et Slavoniae Generalis Capitaneus, Officio Capitaneatus sui valedixit, ab eo toto tempore in finitimas Arces et fortalitia Confiniorum Regni de pixidibus, pulveribus, globis, et plumbo, ac aliis Apparatibus Bellicis, nihil provisum est; Capitaneique et Praefecti huiusmodi Artium et fortalitorum finitimorum, non ut contra vim hostium tempore obsidionis (quod Deus avertat) aliquam Arcem, vel fortalitiolum finitimum per aliquod parvum tempus defendere et retinere possint, imo sua Sacra Maiestas Cunctis fidelibus suis Regnicolis certam fidem adhibere dignetur, ut etiam tempore excursionis hostium Thurcarum, tantum pulveris in plurimis Castris et Castellis non habeant, quo excursionem ipsam Thureicam per sonitum Bombardarum vel pixidum miseris circum vicinis Christianis manifestare possint. Supplicant igitur humilime, Maiestas sua sacra Caesarea et Regia, ob innata erga fideles suos gratia, tanto periculo fidelium suorum subditorum provenire dignetur, ut statim de Bellicis apparatibus, pulvere, pixidibus, et plumbo, ac globis ad praescripta loca finitima, per illos quorum interest, clementer providere faciat.

Accessit etiam non sine gravissima universorum dominorum et Nobilium Statuumque et Ordinum fidelium Regnicolarum Suae Sacrae Caesareae et Regiae Maiestatis, adhuc sub proximo praeterito Generalium Iudiciorum octavalium Regni festi Epiphaniarum domini termino, ex Comissione et Mandato Serenissimi Principis et domini domini Caroli. Dei gratia Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae etc., fratris Charissimi et locumtenentis in Hungaria praefatae Sacrae Caesareae et Regiae Maiestatis, domini videlicet gratiosissimi; Egregios dominos Joannem Zermegh, Consiliarium Camerae Hungaricae, alterum Joannem Aynkerayther, familiarem sacrae suae Caesareae et Regiae Maiestatis, per praefatam Camera Hungaricam, ad quandam novam revisionem seu Circumspectionem dicationis seu Connumerationis portarum, Reliquiarum praefati Regni Slavoniae, nescitur ex cuius instinctu, contra libertates et privilegia praefati Regni Maiestatis suae Slavoniae, destinatos esse: Supplicant itaque humillime praefati fideles universi domini Nobilesque ac Status et Ordines dicti Regni fideles subditi Sacrae Caesareae et Regiae Maiestati, domino domino illorum clementissimo, Maiestas sua Caesarea et Regia, considerata summa humilitate et obedientia praefatorum fidelium subditorum suorum, qua semper, non parcendo sibi ipsis et miseris colonis illorum, omnibus constitutionibus publicis suae Sacrae Maiestatis et Regni obedientes . . . fuerint; ne fideles suos, huiusmodi inaudita nova circumspectione seu revisione dicae, iam semel per dicatores suae Sacrae Maiestatis et praefata Camera Hungarica delegatos, praesentibus certis Juratis Nobilibus Regni et Iudium, Juxta praemissam publicam constitutionem Posoniensem, fideliter, prout ipsi Regnicolae credunt, peractae, inaudita hac novitate, Contra praefatam libertatem et privilegia fidelium suorum subditorum, aggravari clementissime permittat: vnde et clementissime expectant Responsum, prout super his et praefatam Camera suae Sacrae Caesareae et Regiae Maiestatis Hungaricam, ipsi Regnicolae per litteras illorum certificare curarunt.

Praeterea, cum certe auditur, duos Beglerbeghos cum Ingentibus Copiis Thurcarum Boznam aduenisse, vereturque, ne hostes ipsi improvide in aliquam artium finitimarum irrui attemptarent; ut autem ad haec maior Vigilantia fidelium